Pedag: 738.

Historia Scholarum

Bratislav. gymnas. Magdalenaeum.

Fechneri Joh: Samson Christi Salvatoris – 1665.

I. F.

SAMSON
CHRISTI SALVATORIS,

Qui Paſsione & Morte ſuâ ſalutiferâ
Satanæ, Mortis & Inferorum
vires potentiſsimè
deſtruxit,

TYPUS LUCULENTISSIMUS,

ipſo Soteriorum Chriſt. Feſto 1665.
Horis à I. promerid.
Sacris Meditationibus
IN GYMNASIO MAGDALENÆO
conſiderandus,
curante
M. JOHANNE FECHNERO.

Typis Baumannianis, exprimebat JOHANNES CHRISTOPH. JACOB.

Lectori Salutem & Observantiam.

MAgnanimi cantet Clio pagana labores
Herculis, infestam Lernæ qui contudit Hydram,
Et clavâ Nemeæ stravit victrice Leonem.
Nos, quibus affulsit melior lux Numinis almi,
Manoaden tenui celebramus carminis orsu
Ingentem, diros qui strage frequente Philistos
Multavit, pollens divino robore Vindex.
Scilicet ut pulcrâ signaret imagine Christum,
Christum victorem Mortis Stygiæq; phalangis;
Hunc sibi sacravit, magnis dum destinat ausis,
Regnator superum, sævosq; armavit in hostes.
Jam causam quærens, ut justo Marte lacessat
Invisam gentem, thalamo sibi jungier optat
Patre Palæstino natam Thamnatide in urbe.
Illuc dum gressu festino tendit, amœna
Per fruticeta means & jugera fœta Lyæo,
Occursare sibi per agrorum plana Leonem
Conspicit, immanem rictus qui pandit hiatum.
Quid verò Samson? Stimulatus Flamine dio
Fortiter instantem reprimit, manibusq; prehendens
Fauces diductas, mollem discerpit ut hædum,

Exanimemq;

Exanimemq; feram vacuâ diſtendit arenâ.
Mox urgens iter inceptum deſcendit ad ædes
Speratæ, & pacti confirmat fœdera lecti.
Inde domum repetens noto jam calle, Leonis
Putre cadaver adit, quod apum (mirabile viſu)
Incolit examen ſolers: Pars horrea fingunt
Cerea, pars flavo diſtendunt nectare cellas.
Obſtupuit Samſon ſpeculatus viſa recentis
Prodigii, guſtuq́; probat ſtillantia mellis
Munera, rem tantam tacito ſub pectore volvens.
Læta dies tandem roſeo proceſsit ab ortu,
Quâ jungenda fuit cupido nova nupta marito.
Inſtruitur lauto genialis cœna paratu,
Expediunt cincti Cerealia dona miniſtri,
Et menſas onerant dapibus vinoq; coronant.
Interea conviva diem ſermone trahebat
Feſtivo & Sponſum dictis ſalibusq; fricabat
Argutis: Contra paribus par reddere promtus
Samſon hoc ſociis ſolvendum ænigma propinat:
Fercula præbet edax, ſcatet & dulcedine fortis.
OEdipus hîc nullus, gryphum qui evolvere cæcum
Sciret, erat. Vitulâ tandem Samſonis arantes,
Qui precibus Sponſæ victus ſenſa abdita promſit,
Norunt, in cæſo quæ ſint inventa Leone.
Duxerat uxorem Samſon, ſed non ſibi: Durus
Namq; ſocer thalami facit irrita pacta jugalis,
Alteriusq; gami tranſire ad fœdera natam
Cogit. Flagitii impatiens turpisq; repulſæ

Crinipotens heros, ultrices concipit iras
Pectore flammato, cladesq; minatur iniquæ
Genti, jam nactus cauſamq; viamq; nocendi.
Triticiæ inſtabant tum tempora fervida meſsis
Et matura Ceres falcem poſcebat acutam,
Cum Samſon cepit ſolerti indagine vulpes
Tercentum, quarum caudis per mutua nexis
Inſerit ardentes tædas, & mittit in arva
Fœta Philiſtinorum. Illæ in diverſa ruentes
Incendunt paſsim flammâ populante benignas
Ruris opes: Furit ignis atrox per ſpicea regna,
Exuſtusq; perit totius redditus anni.
Tantâ clade truces macti fremuêre Philiſti,
Et terram Hebræam funeſto Marte petentes,
Manoaden tradi ſibi poſcunt voce minaci,
Ut plectant meritâ turbarum morte ſatorem.
Eſt ſpecus exeſæ ſub coſtâ rupis, Etamam
Indigenæ vocitant: Ibi vaſtus pandit hiatus
Fauces præfractas. Huc forte receſserat Heros
Occultam quærens poſt damna illata quietem,
Illum adeunt trepidi cives vinclisq; ligatum
Artis perducunt inimicæ in caſtra phalangis.
Vinctus erat Samſon, ſed nondum victus, & hoſtes
Exultant fruſtra. Solitâ vi vincula rumpit,
Rumpit & irarum ſtimulis ferventibus actus
Fertur in armatos: Sed deficientibus armis
Tollit humo veterem maxillam putris aſelli,
Quâ ſolâ inſtructus denſum procurrit in agmen

Ac rumpens cuneos, nunc hos, nunc proruit illos.
Nulla fugæ ratio: Sternuntur inertia paſsim
Corpora, nec poſsunt vim vi depellere tantam.
O Rem mirandam! Proſternit mille viros vir
Unicus, ingenti referens ê ſtrage triumphum
Solus inauditum. Sed laſsum Jova refecit
Non ſine prodigio. Victrix maxilla, tot hoſtes
Quæ letho dederat, fundit ſalientis aquæ vim
Fiſso dente, ſitim quæ reſtingvebat anhelam.
Poſt meſses aliquot Gazam pervenit in urbem
Samſon, fœmellæ pellectus amore procantis.
Senſerunt cives hoſtem adventaſse locantq;
Excubias paſsim fora per, per mœnia cauti,
Ut capiant, captumq; necent deîn luce reverſâ.
Contigerat mediam cœli nox hòrrida metam,
Cum ſtrato is ſurgens deſerto, clauſtra revellit
Portarum, & valvas ſummoto ê cardine tollit
Impoſitasq; humeris montem deportat in altum.
Vicit amor tandem, quem non vicêre cohortes
Haſtiferæ, quem non tenuerunt mœnia clauſæ
Urbis. Soreci pellex habitabat ad amnem
Dalila, quam Samſon cum forte videret, amare
Inſanùm cœpit: Sic illum gratia frontis
Blandæ dementat, ſic lingvæ tinnula Pitho
Pertrahit in caſses & inexplicitos labyrinthos.
Hæc precio procerum lauto conducta, ſubinde
Invicti cauſas perquirit roboris. Ille
Pellecebris tandem victus fallacis amicæ,

 In

In conſecratis vires latitare capillis
Dicit: Dicta refert meritrix infida Philiſtis,
Qui lapſo in ſomnum fatalem forpice crinem
Detondent: Tonſo cedit vis dia capillo.
En capitur captusq; miſer privatur utroq;
Lumine, & in phylacam ſqualentem conditus, inſtar
Mancipii ſaxum verſare molare jubetur.
O quos non plauſus Gazæ tunc mœnia circum
Audiſses! Plebs omnis ovat proceresq; triumphant
Manoade domito. Sed erat brevis iſta voluptas:
Nam mox in tragicum vertuntur gaudia luctum.
Ædes ſublimis mediâ radiabat in urbe,
Monſtroſo quam Dagoni ſacraverat olim
Vana ſuperſtitio pagoq; addicta vetuſtas.
Huc ingens hominum confluxerat undiq; turba,
Ritu conſveto turpem cultura Deaſtrum.
Sed ne feſtivis ſolennia ſacra carerent
Ludis, in mediam Samſon producitur Ædem,
Ut læta exhibeat populo ſpectacula ſævo.
Ille indignatus ludibria ferre maligna,
Supplice poſcit opem divinam voce, priori
Robore ut accinctus perjuros vindicet hoſtes.
Annuit & vires integrat Jova roganti.
Ædes tota fuit geminis ſuffulta columnis,
Quas Simſon medias amplexus utroq; lacerto
Fortiter & toto conniſus corpore fregit.
Subruitur concuſſa ſtrues, compage ſolutâ,
Et ſubitam tabulata trahunt convulſa ruinam.

Sed

Sed moles collapſa hominum ſimul obterit agmen
Ingens. Manoades ſic morte triumphat in ipſa.
Quis non hîc cernit ſimulacrum nobile Chriſti
Soteris, ſummo qui miſsus ab æthere lapſas
Res inſtauravit, divino numine plenus.
Hic dum contendit charam ſibi jungere Sponſam
Ex gente humanâ lectam, fremit impius Orcus
Occurritq; Leo Stygius. Sed cœlicus Heros
Proſtravit vires hoſtis, proſtravit Averni
Turmas & mortis perrupit clauſtra tremenda,
Ac moriens tandem ſubvertit dæmonis arces.
Hæc Crucis, hæc Mortis Chriſti veneranda tropæa
Voce piâ memorare parat ſtudioſa juventus.
Vos igitur, Proceres Civesq; Budorgidos almæ
Phœbo dilecti, pronâ qui mente favetis
Artibus, inſtructi Studiis melioribus ipſi,
Ad noſtrum, quæſo, cras Ludum viſite, ludum
Non ſpectaturi, ſacra ſed meditamina pubis
Auribus hauſturi. Nam ſic pietatis amatrix
Muſa ſui celebranda putat Soteria Chriſti,
Qui veſtras tueatur opes & muniat urbem
Adverſus vires Satanæ frendentis & Orci.

P. P. Die Virid. A. C. 1665.

Producentur.

1. Prologus, Vitus Ferdinandus â Mudrach/
2. Declamaturi
   1. Godofredus Sprotta, Wrat. qui ex Judic. c. 13. v. 5. exponet Nomen Nazaræi, quo Samson insignitus Jesum Nazarenum præfiguravit.
   2. Georgius Hallmannus, Goldberg. qui ductu cap. 14. ejusd. lib. Samsoni Uxorem ex Philistæis legenti Christum Sponsam vel Ecclesiam ex gentibus colligentem conferet.
   3. Johannes Georgius Chvvalkovvsky, Fraustad. qui ex eod. cap. Samsoni Leonem manibus dilaceranti Christum Satanæ vires proterentem comparabit.
   4. Johannes Adamus Clericus, Olomuc. Moravus, qui evolvet ænigma Samsonis: De comedente exiit cibus & de forti dulcedo.
   5. Paulus Reinhardus â Beyern / qui ex c. 15. laud. lib. pugnam Samsonis, in quâ maxillâ Asini mille Philistæos interemit, enarrabit, eamq; ad Christi patientis agonem gloriosum, quo inferorum devicit agmen, accommodabit.
   6. Hermannus â Pucher/ qui ex cap. 16. lib. alleg. ostendet Samsonem portas urbis Gazæ eruentem signasse Christum, qui portas inferorum diruit.
   7. Samuel Hoffmannus, Wratisl. qui ex eod. ejusd. lib. cap. demonstrabit, quod Samson moriens hostes ruinâ ædis oppressos egregie ultus, adumbraverit Christum, qui morte suâ salutiferâ Orcum destruxit.
   8. Christophorus Pricelius, Dracomont. } quorum ille Epicum, hic Phalæcium
   9. Casparus Neuman/ Wratisl. } Carmen de Passione Christi recitabit.
   10. Christophorus Friben, Landshutt. qui ad sedulam Passionis Dominicæ considerationem commilitones cohortabitur.
3. Pronuciaturi Sermonem sacrum D. Cypriani, vel ut alii malunt, Ruffini in Expos. Symb. Apost. quo Vaticinia Prophetarum de Christi Salvatoris Passione & morte secundum partes singulas completa fuisse probatur.
   1. Joachimus Sigismundus Rampusch/
   2. Andreas Goldbach/
   3. Johan. Andreas Mauersberger.
   4. Johannes Burg/
   5. Gottfrid â Tilisch/
   6. Johannes Adamus Limpricht/
   7. Johannes Christianus Sprotta.
4. Recitaturi pias veterum ad Christum patientem precatiunculas,
   1. Tobias Körner/
   2. Christianus Kinner/
   3. Johannes Seffner/
   4. Andreas Hesse/
   5. Wenceslaus Abraham Stirius.
   6. Johan. Weickart Kyspersky â Freschowitz/
   7. Zacharias Hänsel/
   8. Daniel Capricornus.
   9. Elias Ressel/
   10. Gottfrid Herrman/
   11. Gustavus Milde/
   12. Jeremias Thoman/
   13. Georgius Schneider/
   14. Georgius Hänel/
5. Epilogus, Maximilianus Preuß.